

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**OLEIS EXPRESSIS**  
EORVMQVE  
**MODO AGENDI ET VSV**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
**PRAESIDE**  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

AD D. DECEMBR. A.S.R. MDCCXLVII.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

**FRIDERICVS BENEDICTVS SCHROEDER,**  
IVLINO-POMERANVS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
OLEIS EXPRESSIS  
MODO AGENDI ET VSV

AVTHORIS NOMINE

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

DOMINO  
D. ANDREA BELLA BUCHNERO

SCIENTIAM ANATOMICAM ET CHIRVRGICAM  
IN VNIuersITATE WURTEMBERGENSI  
PRAEFICENTIS

PRO GRADU DOCTORIS  
PUBLICAE FACVLTATIS MEDICAE  
WURTEMBERGENSIS

AD D. DECEMB. AN. MDCCCLVII  
WURTEMBERGAE

FRIDERICVS BERNHARDVS SCHROEDER  
PRAEFICENTIS

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDLII, ACAD. TYPOG.



**VIRO**  
EXCELLENTI, CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**LVCAE FRIDERICO**  
**SCHROEDERO,**

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO,  
CAVSSARVM APVD SVNDENSES PATRONO FACVN-  
DISSIMO, FORTVNAE SYAE MODERATORI  
BENIGNISSIMO,  
PATRVO SVO OMNI, QVAE MAXIMA, ANIMI  
SVBMISSIONE SVSPICIENDO,

ET  
**VIRO**  
SVMME PLVRIMVMQVE REVERENDO, AMPLISSI-  
MO, DOCTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**M. IOH. SEBASTIANO**  
**SCHROEDERO,**

PASTORI ECCLESIAE DIVI NICOLAI IVLINEN-  
SIVM PRIMARIO VIGILANTISSIMO, EIVSDEM-  
QVE DIOECESEOS ANTISTITI SPECTA-  
TISSIMO,  
PARENTI SVO INDVLGENTISSIMO,  
EA, QVA FILIVM DECET, ANIMI PIETATE ET RE-  
LIGIONE AETERNVM COLENDO,

IN NVNQVAM INTERMORITVRAM TOT TANTO-  
RVMQVE IN SE COLLOCATORVM BENEFICIORVM  
MEMORIAM,  
IN SVI MVSARVMQVE SVARVM COMMENDATIONEM,  
IN CERTISSIMAM GRATI ATQVE OBSEQUIOSISSIMI  
ANIMI TESSERAM,  
CVM ARDENTISSIMIS PRO PERPETVA ILLORVM  
PROSPERITATE PRECIBVS

PRIMITIAS HASCE QVALESCVNQVE SVAS

SEQVE TOTVM

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

AVCTOR.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
D R  
**OLEIS EXPRESSIS**  
EORVMQVE  
MODO AGENDI ET VSV.  

---

PROOEMIUM.



Non more solum a fatis iam  
longo tempore fuit receptum,  
sed lege etiam confirmatum,  
vt Aesclepiadis filii, qui, stu-  
diorum suorum cursu abso-  
luto, summos in Medicina honores ambi-  
unt, aliquod ingenii specimen edendo suos  
ostenderent profectus, iisque se praesta-  
rent dignos. Cum ego igitur meum lit-  
terarum cursum ad exoptatum perduxerim

rim finem, & summam in Medicina dignitatem capeffere intendam, hoc, quod mihi adhuc vltimum perficiendum, officium recusare nolui, & hoc argumento, non vana scribendi & gloriam quandam captandi cupiditate ductus, Dissertationem hanc inauguralem elaborandam in me suscepi, eoque sine de argumento, quod in ea pertractetur, deliberaui. Varia mihi haec cogitanti occurrerunt themata, sat digna vtique mihi visa, in quae peculiari inquiratur Dissertatione. Interea tamen eiusmodi argumentum, quod ex praxi desumptum est, eligere nolui, tum, quoniam iam multa argumenta practica fuerunt pertractata, vt pauca, quae singularem mereantur disquisitionem, superesse existimem, tum praesertim, quoniam laude digna thematis practici elaboratio scientiam, multis iisque reiteratis experientiiis atque obseruationibus subnixam, requirit, qua me adhuc destitutum esse profiteri minime erubesco. Sed potius praeceteris eiusmodi mihi thema arrisit, cuius explicatio ex principiis physicis & chemicis est



est petenda, ita, vt simul clariori atque vberiori praxeos medicae declarationi atque vsui inferuiat, atque eius indolis illud est, quod huius Dissertationis fronti est inscriptum. Ad quod accedit alterum, idque non leue, argumentum, quod me ad meum hoc propositum non incitauit solum, sed potius etiam in eo confirmauit, scilicet, quod hoc thema, quantum mihi saltem constat, a nemine iam fuerit ex assè pertractatum.

De reliquo cum in hocce pertractando themate maxime secutus sum ordinem, quem leges cogitandi naturales exposcunt, & qui in eo consistit, vt de nulla re loquar, nisi claro & distincto eius antea suppeditato conceptu, & omnia asserta vel ex definitionibus, vel ex experienciis, ratiociniorum rite cohaerentium ope, demonstrantur, & si forsan illum violauerim, non meus certe animus, sed virium mearum imbecillitas est accusanda. Faxit interea Numen Diuinum, vt hic labor in eius gloriam atque aegrotantium cedat emolumentum.

§. I.





§. I.

*Olea se cum  
aqua com-  
misceri non  
patimur,  
& constant  
ex particu-  
lis terrestri-  
bus, aquis  
& sulphu-  
reis.*

*Oleorum, expressorum inprimis, modum operandi atque usum ostensurus, necessarium esse arbitror, ut omni studio in illas inquiram proprietates, quae ipsis competunt, & quibus ab aliis distinctus ad legitimam eorumdem definitionem perveniendi. Consului hinc experientiam, & ex eius testimonio, omnium locupletissimo, unicuique adparebit, olea esse fluida, verum hac indole praedita, ut se cum aqua per se commisceri non patiantur, sed aliud corpus tertium requiri, quod eorumdem cum aqua connubium praestare potest. Eadem praeterea rerum magistra, experientia, docet, terrestres oleis inesse particulas, id quod quilibet non potest non concedere, qui considerat fuliginem, quam spargunt accensa, & residuum, quod destillata relinquunt. Aquearum in oleis particularum existentia tum ex eorum fluiditate, tum praesertim eorumdem in phiala ebullitione, in qua aquosus ascendit vapor, qui eiusdem collo sese apponens*  
in

in guttulas coit, atque ex corporis spissi indole, quam frigus ipsis conciliat, satis superque apparet. Sulphureas autem, quae ipsis inhaerent, particulas, eorum ostendit inflammabilitas.

§. II.

Neminem, qui solida Physices cognitione est <sup>Particulae</sup> instructus, fugere potest, particulas oleorum ter <sup>oleorum ter-</sup>restres, aqueas & sulphureas ratione grauitatis spe- <sup>restres, aque-</sup>cificae multum inter se differre. Sic particulae <sup>ae & sul-</sup>aqueae eandem cum aqua possident grauitatem <sup>phureae dif-</sup>specificam, sulphureae aqua sunt specificae leuiores, <sup>ferunt inter</sup>terrestres vero eadem sunt specificae grauiiores. <sup>se grauitate</sup>  
<sup>specificae.</sup>

Scholion. Si in sequentibus vtar vocabulis: phlogiston, particulae sulphureae, inflammabiles, vnam eandemque his attribuo significationem, id quod hic monendum esse duxi, vt mens mea in hac tractatione recte percipi atque intelligi queat.

§. III.

Quamuis salinae oleis intermixtae particulae <sup>Salinae par-</sup>oculis subiici nequeant, nihilominus tamen earum <sup>ticulae com-</sup>praesentia ita certa est, vt de ea dubitari nequeat. <sup>positionem</sup>Ex physicis constat principiis, corpora grauitate <sup>ingrediun-</sup>specifica multum diuersa commixtionem plane re- <sup>tur oleorum.</sup>spuere, nisi intermedium corpus, commiscendis adhaerendo corporibus, illam efficiat. Nunc phlogiston & aqua corpora sunt grauitatis specificae valde inaequalis (§. II.), & oleorum mixturam ingrediuntur (§. I.); qua de re, vt tertii corporis beneficio in oleis commixta sunt, necesse est. Iam ex  
B princi.

principiis patet physicis, sal esse corpus, quod tam aquam, quam sulphur amicissime amplectitur, quam ob rem, quod salinae particulae olea ingrediantur, certum est atque indubitatum. Has vero particulas aqueis multo esse grauiores, ex physicis notum est. Earumdem quoque in oleis praesentiam demonstrat solutio calcium metallorum ope oleorum, in praeparatione emplastrorum.

## §. IV.

*Inquiritur  
in indolem  
salis, quod  
olea ingre-  
ditur.*

Ad quamnam vero salium speciem hoc, quod olea ingreditur, sal pertineat, in genere determinari nequit. Dantur enim argumenta, quae pro sale tam acidae, quam alcalinae indolis pugnant. Quod ad prius attinet, ex iis, quae olea saltim quaedam fouere acidi nonnihil probare videntur, proferre sufficet hoc vnicum experimentum, quod scilicet oleum e. g. oliuarum, si in vase cupreo per aliquod tempus adseruetur, viridem induat colorem, qui a nulla alia causa, quam ab acido cuprum arrodente prouenit.

## §. V.

*Olea expres-  
sa habent  
sal alcali-  
nae indolis.*

Priusquam vero alcali in oleis latere probare adnitar, subiecta, quae oleum largiuntur expressum, recensere oportet. Haec vero, si solos ouorum vitellos excipiam, ex regno defumuntur vegetabili omnia, & inter haec praecipue sunt semina, quae, cum aqua contrita & commixta, liquorem lacteae plane indolis exhibent, nonnullique fructus. Cum igitur chemica doceant principia, nullum oriri lac, nisi per combinationem aquae cum inflammabili

mabili ope salis alcalini, semina vero, quae oleum fundunt expressum, cum aqua emulsa liquorem dent lacteum, sequitur, ut sal illis insit alcalinum. Quid igitur obstat, quo minus sal, quod olea habent ex seminibus istis expressa, alcalinae esse indolis, adfirmem? Cum vero cetera olea expressa cum his in reliquis qualitatibus maxime conveniant, non sine ratione inferitur, in ceteris etiam oleis expressis vinculum inter inflammabile & aquam praebere sal alcalinae indolis.

§. VI.

Cum igitur oleum sit fluidum, quod per se cum aqua se commisceri non patitur, & praeterea ex particulis constet sulphureis, aqueis, terrestribus & salinis (§. I. III. IV. V.), oleum sic definitur potest, quod sit *fluidum per se cum aqua non commiscibile, & ex particulis sulphureis, aqueis, terrestribus & salinis conflatum.* *Definitio olei.*

§. VII.

Olea pro vario, quo considerantur, respectu, De variis varias sortiuntur distinctiones. Sic ratione *originis specibus* diuiduntur in *natiua & arte producta.* Pro diuersi *oleorum.* tate *subiectorum*, ex quibus desumuntur, dicuntur *olea regni vel vegetabilis, vel animalis, vel mineralis.* Pro ratione *modi*, quo praeparantur, distinguuntur in *olea destillata, si destillatione, & expressa, si expressione parata fuerint.* Cum his posterioribus mihi tantum res est, & facile patet, omnia ista, quae in antecedentibus de oleis in genere asserta fuerunt, de oleis quoque valere expressis.

## §. VIII.

*Olea expres-  
sa constanti  
ex particu-  
lis diuersa  
grauitate  
specifica  
praeditis.*

Olea expressa ex particulis constant aqueis, inflammabilibus, terreis ac salinis (§. I. III. IV. V. VII.): lam inflammabiles particulae aqueis sunt multo specificè leuiores, aqueae illis aequales, terreae vero ac salinae grauiore (§. II. III.); quam ob rem olea ex partibus, aqueis grauitate specifica aequalibus, iisdem minoribus ac maioribus, sunt conflata. Porro cum experientia doceat, oleum expressum aquae supernatare, hoc vero nullum faciat corpus, nisi illud, quod, ratione totius saltem molis, aqua est specificè leuius, sequitur exinde, vt oleum expressum, quoad omnem massam, aqua sit specificè leuius, vnde simul clarissime patet, olea quoad maximam partem constare ex partibus aqua specificè leuioribus, id est, *inflammabilibus*. Cum vero hae ope salis coniungantur aquae (§. III.), apparet, maiorem addendo salis quantitatem, superfluum inflammabile aquae immisceri posse. Id quod Chemia etiam, per additionem salis alcalini saponem conficendo, confirmat.

## §. IX.

*Cur olea  
aqua sint vis-  
cidiora.*

Partium olea constituentium grauitatem specificam diuersam rite perpendenti, mirum esse nequit, olea viscidiora esse aqua. Cum enim, vt ex physicis notum est, cohaesio particularum minimarum fluidi specificè grauiorum, maior sit cohaesione particularum minimarum fluidi leuiorum; olea vero consistunt ex particulis minimis aqueis grauioribus (§. VIII.), hinc in oleis particularum minimarum cohaesio

haesio maior est, quam aquae. Nunc cohaesio particularum fluidi minimarum vocatur eiusdem *visciditas* (HAMBERGERI *Elem. Phys. §. 182.*); ideo patet ratio, cur olea maiori praedita sint visciditate, quam aqua.

§. X.  
Modus haecce olea parandi, nemini facile ignotus esse potest, quare huic labori superfedere volui eo lubentius, quo maior differentia in observandis cautelis, pro varietate subiectorum, intercedit. Hoc tantum hic monebo, quod illa olea, quae sine tostione corporum exprimendorum praeparantur, nimia abundant quantitate aquae, quare, si recentia sunt, optime quidem vocari possunt in usum. Ast, cum experientia doceat, olea aqua nimis praegnantia, aëri exposita praesertim calidiori, rancorem contrahere facillime, & induere acrimoniam, ideo contrarium plane intentioni adhibentis exferent effectum, id quod ex sequentibus melius elucescet; quamvis haec incommoda quodammodo tam evaporatione superflui humidi post expressionem, quam eo evitari possint, si corpora exprimenda, antequam subiiciantur praelo, tostione nimia priuentur quantitate aquae.

§. XI.  
His igitur praemissis, ad exponendos oleorum expressorum effectus in corpus humanum me accingam necesse est. Hi vero olim ab aliquibus tantum aestimati fuerunt, ut in omnibus fere promiscue morbis olea expressa usurpauerint, quo simul factum.

Etum est, vt non semper euentus voto responderit, & alii eorum vsum plane reprobauerint, alii contra eundem summis extulerint laudibus. Cum vero effectus remediorum ab eorum virtutibus, & haec a principiis ipsorum constitutiuis profiscantur, facile est perspectu, oleorum expressorum in corpus humanum effectus ex eorundem principiis constitutiuis esse deducendos atque explicandos. Olea expressa, si cohaereant cum corpore humano, in illud agere, veritas est, de qua dubitare nefas esset. Quod vero olea cohaereant cum particulis corporis nostri, nemini dubium erit, qui considerat, quod olea expressa aqua sint specificice leuiora (§. VIII.), aqua vero particulis solidis omnibus, fluidis vero plerisque sit specificice leuior; vnde patet, olea expressa solidis omnibus, fluidis vero, si non omnibus, tamen plerisque esse specificice leuiora. Nunc corpora specificice leuiora adhaerent specificice grauioribus (per princ. phys.): Ergo etiam olea adhaerent particulis corporis nostri solidis, fluidis vero, si non omnibus, saltim plerisque.

*Olea expressa agunt in solida & fluida pleraque corpora humani.*

§. XII. Medicamentorum omnium actio fit vel in solida, vel in fluida, vel in vtraque simul. Olea expressa cohaerent tam cum solidis, quam cum fluidis plerisque corporis nostri (§. XI.); & cohaesio est actio (per princ. phys.); qua de re olea expressa agunt tam in solida, quam in fluida pleraque. Nunc mihi incumbit, vt inquiram in modum oleorum agendi.

§. XIII.



§. XIII. *Solidae corporis humani partes componuntur ex fibris, quae ex elementis constant, ope pinguis aquosi, quod glutinis instar est, certa vi cohaerentibus.* Cum iam olea expressa solidis corporis humani partibus sint specificè leuiora iisque adhaerent (§. XI), fieri nequit, quin cohaerendo cum partium solidarum fibris, earumque elementis se interponendo, horum numerum punctorum contractus imminuant, cohaesionem eorum minorem reddant, atque hac ratione fibras ipsas sic disponant, ut se magis, quam antea, elongari patiantur. Nunc fibra dicitur *laxior*, si se magis elongari patitur, quam antea. Qua de re olea expressa fibras partium solidarum, adeoque partes solidas ipsas, reddunt *laxiores*, id est, *relaxant*. Atque hoc confirmat experientia, utpote quae docet, quod coria animalium, si cum oleo expresso perfricentur, mollia euadant.

§. XIV. Quod ad oleorum expressorum actionem in fluida attinet, illa potissimum consistit in eo, ut acrimoniam humoribus inhaerentem inuoluant. Haec humorum acrimonia a salibus, quae ipsis maiori in copia commixta sunt, provenit, & pro eorum diuersa indole & copia, diuersa fortitur nomina & gradus, ita, ut dicatur *acida*, si a salibus oritur acidis, *alcalina*, si ab alcalinis, & modo *maior*, modo *minor* sit, prout salia in maiori vel minori adsunt copia. Cum vero olea expressa lubentissime sese commisceant cum salibus, cuiuscunque sint generis (§. III.)

(§. III.), ratio hinc patet, quare olea expressa humorum acrimoniam, cuiuscunque sit indolis, demulceant atque inuoluant. Possunt igitur ad omnem acrimoniam leniendam adhiberi, imprimis, si acrimoniae indoles indagando inueniri & determinari nequit. Si vero acrimonia humorum sit alcalina, olea expressa ipsi conciliant indolem saponaceam (§. VIII.), humoribus nostris maxime amicam.

## §. XV.

*Olea expressa profunt in fibrarum rigiditate.*

Partes corporis humani solidae nonnumquam eiusmodi corripiuntur morbis, quibus fibrae earum se a motu, qui in corpore humano uiuo contingit, ita, ut fieri deberet, elongari non patiuntur, atque hoc in casu corporis humani fibrae rigiditate laborare dicuntur. Quod si ergo hic morbus obtinet in fibris, hic nullo alio modo, quam relaxando, tolli potest. Cum iam olea expressa partes corporis humani solidas relaxent (§. XIII.); ea in fibrarum rigiditate optime conducere clarum est & manifestum.

## §. XVI.

*Olea expressa medentur malis a fibrarum rigiditate proficiscentibus.*

Fibrarum rigiditas varia producere potest mala, ut validum vasorum in contenta fluida renixum, quo eorum fibrae se ad axin sui canalis applicare conantur, cauitatum in vasis coarctationem, maiorem fluidorum pressionem, repulsum atque expulsum, resistantiam eorum motui a corde, iusto minorem & impeditam eiusdem dilatationem atque euacuationem, inaequabilem sanguinis motum ac illegitimum secretionum successum; quae omnia alios de-  
nuo

nūo mōrbos, vt effectus suos, producant. (§. 52. BOERHAAVII Aphor. de cognosc. & curand. morb.) Verum enim vero dedi demonstratum, olea expressa in fibrarum rigiditate conducere (§. XV.): Quam ob rem ea ad tollenda & praecauenda mala, quae a fibrarum rigiditate proficiscuntur, admodum esse idonea, luculenter adparet.

§. XVII.

Aetas senilis secum fert, vt homines in eadem constituti fibrarum rigiditati & malis ab hac proficiscentibus obnoxii euadant. Nunc olea expressa egregie se gerunt in fibrarum rigiditate & effectibus exinde dependentibus remouendis (§. XV. XVI.); hinc senibus admodum profunt. Is vero modus, ea adplicandi, optimus & solemnis est, quo iis, sub forma linimenti, panni lanae calefacti beneficio, partes externae perfricantur.

§. XVIII.

Dolor oritur a tensione nerui ultra gradum tensionis suae naturalem aucta, & hinc omnia ista remedia dolorem mitigant vel tollunt, quae tensionem nerui praeternaturaliter auctam imminuunt, vel tollunt. Relaxantia fibras ita disponunt, vt magis, quam antea, elongari & ad gradum eo maiorem, quam iam possident, tendi possint, sicque non possunt non dolorem vel imminuere, vel tollere. Iam olea expressa relaxant (§. XIII.); qua de re virtute dolores sedandi praedicta sunt, adeoque ad anodyna pertinent, vt pote quae sunt ista remedia, quae dolorem mitigant. Praeterea manifestum est, dolo-

C

rem

rem ab acrimonia produci posse, & hoc in casu olea expressa itidem salutarem exserunt effectum, quoniam acrimoniam inuoluunt (§. XIV.), atque sic causam doloris tollunt. Duplici igitur respectu olea expressa ad anodynorum classem pertinent. Quod vero ad eorum modum applicandi atinet, illa tam interne, quam externe adhiberi posse facile liquet.

## §. XIX.

*Olea expressa conducunt in doloribus colicis, ex calculo aliisque.*

Cum olea expressa se magna in doloribus mitigandis commendent utilitate, eoque sine summo cum fructu possint adhiberi (§. XVIII.), nemini mirum esse potest, celeberrimos Medicos, in artis exercitio admodum versatos, ea in doloribus intestinorum colicis, vel aliis, & in doloribus ex calculo vel felleo, vel renali, salutari cum effectu usurpasse. Sic HIPPOCRATES suasit, in ileo balneis fouere corpus atque oleo illinire, & Illustr. b. m. HOFFMANNVS olea expressa, praesertim oleum amygdalarum dulcium, in paroxysmis adfectuum summum dolorem inferentium, interne vel externe, sub forma linimenti, summo cum fructu usurpauit.

## §. XX.

*Olea expressa profunt in spasmodicis atque convulsionibus.*

Inter illa, quae ad causam doloris tollendam admodum sunt apta atque idonea, praecipuum locum obtinent & maxime vniuersalem habent usum omnia relaxantia, quibus adhibitis fibrae nervosae, quae ita sunt tensae, ut dolorem producant, sic disponuntur, ut magis sine rupturae metu distendi possint; eadem autem ab omni tempore ad convulsionibus

nes

nes & spasmos tollendos fuerunt adhibita summo-  
que cum fructu vsurpari possunt. Cum enim cer-  
tum sit atque indubitatum, olea expressa partes so-  
lidas relaxare (§. XIII.), & praeterea acrimoniam  
inuoluere (§. XIV.), quae non raro vehementium  
spasmodum & conuulsionum foecunda mater est &  
genitrix; (§. 232. Aphor. BOERHAAVII de cogn. &  
cur. morb.) nemini dubium esse potest, ea maxi-  
ma virtute spasmos & conuulsiones tollendi esse  
praedita.

§. XXI.

Olea expressa partes solidas relaxandi virtute *Olea expres-*  
praedita esse, supra iam dedi demonstratum (§. XIII.) *sa relaxant*  
Verum enim vero eandem oleorum expressorum *magis, si cali-*  
virtutem magis augeri, si paullulum calida, quam *da, quam si*  
si frigida adhibentur, ex eo patet, quoniam calor *frigida adhi-*  
fluido, quod per se iam ad relaxandum aptum est, *bentur.*  
maiolem impertit relaxandi virtutem, si in illud  
transit. Qua de re praestat, olea expressa, si sco-  
po relaxandi adhibentur, paullulum calida, quam  
frigida in vsum vocare.

§. XXII.

Eorum, quae §. XX. & XXI. adserui, verita- *Adserua-*  
tem suo confirmat exemplo GALENVS, vt in eius- *§. XX. &*  
dem *Comment. I. in Hippocrat. de artic. Charter. Tom. XXI. confir-*  
XII. p. 323. legitur. Hic enim, dum in palaestra ex- *mantur ex-*  
ercebatur, diuulsum habuit acromion a clauicula, & *emplo Gale-*  
propria calamitate didicit, quantum possit olei cali- *ni.*  
di perfusio, vbi totius generis neruosi irritatio &  
conuulsiones inde futurae metuuntur. Palaestrae  
magi-

magister, luxatum humerum credens, summa vi & repetitis vicibus distrahebat partem, vt nempe restitueret os luxatum. Distractis tam enormi vi musculis, sensit instare conuulsionem sibi GALENUS, iussitque per totum diem & noctem oleo expresso calido partem perfundi, dum nudus sub aestu caniculae decumberet in pelle sic figurata, vt oleum adfufum lente delaberetur in suppositam, quod sic collectum & calefactum readfundebatur continuo. Testatur autem, quod dum vel modico tempore intermitteretur olei adfusio, sentiret illico musculos cervicis distendi & instare conuulsionem.

## §. XXIII.

*Olea expressa conducunt in spasticis intestinorum constrictionibus & alui obstructione exinde producta.* Si spasmodicae constrictiones in intestinorum canali huc vel illuc saeuiunt, siue ab acrimonia, siue ab alia proueniant causa, tunc olea expressa, tum, quoniam acrimoniam, spasmodorum causam, imminuunt eiusque efficaciam infringunt (§. XIV.), tum, quoniam virtute spasmos mitigandi praedita sunt (§. XX.), maximam praestant utilitatem. Praeterea cum notum sit, spasticam intestinorum constrictionem, inprimis si vehemens est, pertinacem producere posse alui obstructionem, hic si contingit casus, olea expressa itidem summo cum fructu ad aluum referendam adhiberi possunt, siue interne, siue externe, sub forma clysteris & linimenti abdomini extrinsecus illiti, corpori adplicentur. Quin olea expressa ad aluum obstructam a fecibus induratis, sibi ipsi exitum praecludentibus, & mucis intestina lubricantis defectu productam soluendam, admodum

modum apta sunt & vtilia, propterea, quod non solum in fecum, induratarum intersticia penetrando, eas reddunt molliores & fluidiores, sed intestinorum etiam parietes lubricant, & mucii secretionem promouent, atque hac ratione causas alui legitimam excretionem impediētes tollunt.

§. XXIV.

Nonnunquam *diarrhoea* & *dysenteria* a motu *Olea expres-*  
*intestinorum*, qui a superioribus partibus versus *sa profunt in*  
*feriores* nimis acceleratur, prouenit, nec raro in *diarrhoea &*  
*utrisque* his adfectibus materia subest acris, quae *dysenteria.*  
*irritando* & arrodendo non solum intestina ad celeriore  
contractionem sollicitat, sed dolores etiam  
& spasmos excitat vehementes. His positis condi-  
tionibus olea expressa optime conducunt, quoniam  
non relaxando solum intestinorum motum accelera-  
tum retardant (§. XIII.), sed acrimoniam etiam inte-  
stina stimulantem, ea ad celeriore contractionem  
irritantem & spasmodicam ac dolorum foecundam  
matrem, inuoluendo inertem reddunt (§. XIV.), &  
possunt hoc sine vel externe, vel interne adhiberi.

§. XXV.

Quod olea expressa, si in maiori adsumuntur *Olea expres-*  
quantitate, eadem, qua *sa sunt vo-*  
cibus & potus nimia in *mitoria.*  
co-  
na docet experientia, nec ratio huius phaenomeni  
inuentu difficilis est, cum tota res eo redeat, ut fi-  
brae ventriculi a nimia oleorum vel aliorum inge-  
storum copia iusto magis & vltra gradum natura-  
lem expansae ad contractionem irriterentur spasmodi-  
cam

cam eaque ratione vomitum producant. Quomodo vero fiat, ut olea expressa, si vel maxime in minori quantitate porrigantur, vomitum excitent, de eo ratio non adeo est in aprico, facile vero ex antecedentibus reddi potest. Olea enim expressa, cum viscida sint (§. IX.), & interiori ventriculi superficiei adhaereant (§. XI.), vasorum, quae liquorem stillant gastricum, oscula obstruunt, eiusque effluxum impediunt, quo fit, ut vasa illum fecernentia atque excernentia iusto magis intumescant atque extendantur, fibrae nerueae illis adiacentes premantur, eaque ratione ventriculus ad contractionem spasmodicam, quae vomitum producit, irriterur. Quae igitur cum ita sint, neminem fore existimo, qui dubitare possit, olea expressa ad vomitoriorum classem esse referenda.

## §. XXVI.

*Olea expressa sunt antidota.*

Dantur *venena*, quae in ventriculum delata, acrimonia sua eum irritando & arrodendo vehementes producunt spasticas constrictiones, atque ingentes, quae ab his excitantur, praecordiorum anxietates atque inflammationes, uti sunt arsenicum, mercurius sublimatus & praecipitatus, atque alia ad eorum indolem accidentia. Quod si ergo eiusmodi venena adhuc haerent in ventriculo, ea remedia optima erunt antidota, quae non virtutem solummodo dictorum venenorum infringunt, sed & ea e ventriculo eliminant. Verum enim vero vomitoria, quae posterius efficere debent, minime debent essent acria, ne adhuc magis corrosionem atque



atque inflammationem adaugeant, sed lenia tantum, quae vomitum absque stimulo & erosione producant. Cum iam eius generis vomitoria sint olea expressa (§. XXV.), & praeterea, venenorum modo dictorum superficiem obducendo, vim eorum causticam infringant (§. XIV.), spasticasque ventriculi constrictiones mitigent (§. XX.), iis ex rationibus *antidotorum* titulo non esse indigna satis superque adparet. Accedit ad haec aliud, idque non leuioris momenti argumentum, quod dicta confirmat. Demonstravi etenim, olea expressa lubentissime sese cum salibus alcalinis commiscere (§. VIII.); & cum iis indolem adsumere saponaceam, corporis humani humoribus amicam admodum. Cum iam experientia teste venena dentur indolis salinae alcalinae, quae fortia valde atque vehementia sunt, olea expressa contra ea *antidotorum* titulum prae omnibus aliis mereri, sole meridiano clarius est.

§. XXVII.

Inter *antihelminthica* non immerito referuntur *Olea expressa*. Cum enim sint viscida & vermium *sa sunt antihelminthica*, corporibus adhaereant (§. IX. XII.), eos enecant, partim eorum tracheas obstruendo, & ita respirationem eorum tollendo, partim vero poros in eorum superficie occludendo, transpirationem ipsorum supprimendo, atque hac ratione particulas & effluvia acra intus retinendo, quae, partes eorum solidas teneriores adgrediendo & destruendo, mortem inferunt. Praeterea cum intestina relaxent & lubricent (§. XIII. XXIII.), spasmus simul, a vermibus

mibus excitatum, in iis praesertim locis, ubi sedem suam habent, demulcent. Circa usum tamen eorum id monendum est, quod ordinarie ipsis prius praemittatur laxans quoddam, ut, remotis reliquis impuritatibus, eo melius vermium corporibus sese adplicare possint, nullumque in expulsiōne inueniant obstaculum.

## §. XXVIII.

*Olea expressa sunt diuretica.*

*Diureticorum* classē ornant olea expressa, non quidem vias vrinarias stimulando, vel materiam ad fecernendam vrinam aptam suppeditando, sed potius hoc modo, quo vasa vrinaria fecernentia relaxant (§. XIII.). Cum enim vasa relaxata motui fluidorum minus resistent, & fluida in eum maxime sese moueant locum, ubi minorem inueniunt resistentiam, patet, olea expressa, quoniam vasa vrinaria fecernentia relaxant (§. XIII.) motum fluidorum magis determinare versus vasa renalia, adeoque vrinariae secretionem promouere. Aliae praeterea addunt rationes, quae olea expressa diureticorum nomine digna reddunt. Notum enim est, vrinariae excretionem saepissime ab acrimonia, fistulas renales vrinam fecernentes constringente, & a calculoso concremento ipsos tubulos vrinarios *BELLINI* infarciēte, quin ipso calculo, vel in renibus, vel in vretēribus haerente, & tam mole sua premendo, quam figura sua stimulando sensibiles vretērum parietes, spasmos excitante, supprimi. Haec igitur si contingunt, olea expressa, quoniam non acrimoniam solum inuoluunt (§. XIV.), sed spasmus etiam

etiam fistulas renales & vreteres obsidentem demulcent (§. XX.), & calculorum angulos obducunt (§. IX.), quo minus adeo grauiter laedant vreteres, prae multis aliis remediis magna se commendant vtilitate, dum hac ratione fluxum vrinae suppressum restituunt. Curandum vero hic simul est, vt eorum motus ad has partes determinetur, id quod peragitur, primo, si ad massam sanguineam determinantur olea, vnde vacuo sunt haurienda ventriculo; deinde impediendo, ne sanguinis motus versus exteriora augeatur, vnde in aëre frigidiori post olei haustum commoretur aeger; & denique resistentiam in ea regione, vbi vrinae situm est secretorium, minuendo, quod impetratur, balneis relaxantibus pectore tenuis insidendo.

§. XXIX.

Pari plane virtute sese commendant olea expressa in omnibus pectoris vitiis, ab acrimonia humorum proficiscentibus, vbi expectoratione opus est. Acrem enim materiam, bronchia, laryngem atque fauces irritantem tussimque ac raucedinem excitantem, inuoluunt (§. XIV.), strictionem ab ea inductam auferunt (§. XX.), vias aperiunt, laxant & lubricant (§. XIII.), quo eo facilius materia mobilis reddita eici possit, vnde in omnibus pectoris adfectibus, vbi materia acris inuoluenda, constrictiones spasmoidicae pulmonum mitigandae & expectoratio suppressa restituenda & promouenda, summo cum fructu adhiberi possunt. Nec usu sunt destituta in corruptione pulmonum, vbi illi pure scatent. Cum enim

D

enim

enim purulenta haec materia fit acris alcalinae naturae, uti omnia corpora in putredinem abeuntia, adiacentem pulmonum substantiam in similem labem trahens & arrodens, adeoque feri adfluxum augens; olea vero cum alcali iuncta indolem adsumant saponaceam (§. VIII.), patet, olea in hoc casu, sufficienti praesertim cum vehiculo data, non tantum impedire mali incrementum, noxiam materiam reddendo inermem, ac, ut facilius eiici possit, aptam, sed laesi etiam pulmonis consolidationem promovere. Guesstphali, teste SCHROEDERO in *Thestavo pharmaceut.* consueverunt pleuritide laborantibus tam diu porrigere olea, donec ipsi sudores odorem exhibeant oleosum. Qua vero ratione consolidantem exserant olea expressa effectum, in id nunc suffus paullo est inquirendum.

## §. XXX.

*Olea expressa vi consolidandi gaudent.*

Corpus nostrum ex vasculis est compositum, quorum parietes liquidum continent, & tanta partium, ex quibus conflata sunt, cohaesione gaudent, ut liquidum contentum vehere & propellere possint. Quod si igitur in partibus solidis solutio fit continui, eaque est consolidanda, hoc impetratur vel coniungendo fibras dissolutas, vel impedimenta consolidationis remouendo, ad quae inter alia pertinet canalium minimorum rigiditas, liquidi per illos ad consolidationem necessarii effluxum impediens. Ad priorem scopum obtinendum inseruiunt conglutinantia. Cum iam viscida conglutinandi virtute gaude-

gaudeant, & olea expressa viscida sint (§. IX.), patet, ea ad fibrarum dissolutarum coalitionem promouendam admodum esse apta. Deinde impedimentum consolidationis, fibrarum nimirum rigiditatem, itidem auferunt, dum eas relaxant (§. XV. XVI.), & aptas reddunt, ut liquidum ad consolidationem necessarium transmittant; quin acrimoniam, in loco vulneris haerentem & fibras destruentem, inuoluunt, atque his modis consolidationem promouent.

§. XXXI.

Modus agendi oleorum expressorum, corpori externe applicatorum, consistit in eo, ut vel acrimoniam humorum inuoluant (§. XIV.), vel partes solidas reddant laxiores (§. XIII.), & reliqui, quos producunt, effectus exinde dependent; quemadmodum in antecedentibus fuit demonstratum. Quae de re olea expressa, cum non relaxandi solum, sed spasmos etiam mitigandi virtute praedita sint (§. XX.), plurimum in suppressione mensium expastica vteri constrictione profunt, pedibus, cruribus, inguini, regioni hypogastricae illita & per clysteres iniecta. Eodem effectu sese commendant parturientibus, tam interne, quam externe adhibita, quae doloribus saeuus ante & post partum miserrime adfliguntur. Maximum enim iis adferunt solamen, dolores compescendo (§. XVIII.), quin in partu ipso exclusionem foetus faciunt, vias laxando & lubricando (§. XIII.). Neque minus graui stranguria laborantibus conducunt, utpote qui, si

De usu externo oleorum expressorum speciatim.

IIII XXX 2

D 2

femi.



femicupio ex oleo expresso parato infederunt, largiorem urinae fluxum experti sunt, vti docent observationes. Tandem nec illud silentio est praeterendum, olea expressa in *contracturis* magna se commendare vtilitate, si partibus externis sub forma linimenti adplicantur.

## §. XXXII.

*Olea expressa commode ingrediuntur emplastris & vnguentis suppurantiis.*

Vbicunque in externo corporis cortice materia haeret impacta vasculis, quae a vi vitali vel remediis resolui nequit, vel fluidum ruptis vasculis est extrauasatum, quod resorberi nequit, ibi suppurantibus, id est, eiusmodi remediis, quae materiam stagnantem in pus conuertunt, opus est. Ast materia stagnans in pus conuertitur nequit, nisi feri copiosiori adfluxu fluidior reddatur. Fluiditas autem illi conciliari potest, partim deriuando motum humorum versus illum locum, partim impediendo, quo minus partes fluidissimae exhalent. Iam cum olea motum humorum determinant in eam partem, cui sunt adplicata (§. XXVIII.), & euaporationem partium subtilium, vi suae visciditatis, impediunt, patet, olea non incongrue ingredi mixturem *emplastrorum* atque *vnguentorum maturantium ac suppurantium*. Interea tamen tenenda hic est illa cautela practica, quod illorum vsus fugiendus sit canè & angue peius in locis, quae ossibus, tendinibus ac cartilaginibus sunt vicinae. Dum enim particularum has componentium imminuunt cohaesionem, texturam illarum plane destruunt, easque in summam deducunt corruptionem.

## §. XXXIII.

§. XXXIII.

Vsus oleorum expressorum in *clysteribus relaxantibus* ac *emollientibus* adeo iam notus est, vt de eo multa verba facere superuacaneum foret; nec suo fructu destituitur, quemadmodum in superioribus demonstratum fuit, tam in casibus §. XXIII. XXIV. adductis, quam in alui obstructionibus, nec non vbiunque nec lubet, nec licet purgancia vel laxantia per os porrigere aegro. Hoc vero notandum est, quod olea expressa in febribus acutis non commode ingredientium vice in clysteribus fungi possint, quoniam in istis febribus summus adest calor, calore vero olea rancorem induunt (§. X.); olea vero rancida nil minus quam laxantem exserunt effectum. Ex iisdem patet rationibus, quod multo minus similibus in morbis olea expressa interne sint exhibenda.

§. XXXIV.

Mos erat apud Romanorum Veteres solemnissimus, vt athletae, ab arena redeuntes, corpora sua sudore diffuentia eoque debilitata inungerent oleis, quod eam ob rationem faciebant, vt nouas sibi compararent vires. Si meum de hoc more inungendi corpora ferre licet iudicium, hoc certum mihi videtur indubitatumque, quod olea corporibus inuncta vltiorem sudoris profusionem abarcuerint atque impediuerint, cum notum sit, ea poris in superficie corporis positis tamquam viscida adhaerere (§. XI.) eosque obstruere & sic transpirationem impedire. Cum igitur per sudorem nimium multae

vtiles & ad vires corporis conseruandas necessariae particulae e corpore eliminantur, eatenus olea expressa ad virium conseruationem aliquid contribuere, vtique concedendum, quatenus corpori inuncta nimium sudorem inhibent.

*De effectu oleorum expressorum externae adhibitorum aluum subducente & transpirationem promouente.*

§. XXXV. Obseruationes exstant nonnullae, quod oleum expressum, corpori externo illitum, aluum emollire ac subducere valeat, quod partim commercio, quod inter transpirationem ac aluum intercedit, partim vero oleosis particulis ad sanguineam massam indeque ad intestina delatis, tribuendum. Fieri enim nequit, quin aluus fluidior reddatur, si transpiratio parcius succedit, id quod contingit, si olea expressa corpori illinuntur (§. XXXIV.), & quod particulae oleosae ad intestina delatae ea lubricent, aluique sic excretionem promoueant, iidem liquer. (§. XXIII.). Contrarium plane priori effectum exerunt, transpirationis nimirum augmentum inducendo, quando cutim occupat strictura, a stimulante quodam producta, quoniam tunc stimulans inuolunt (§. XIV.) & spasticam leniunt cutis constrictionem (§. XX.).

T A N T V M.



NOBI.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.



*O*bstupescit sane, & quidem non immerito, qui oculis animoque subicit ingentem illum remediumrum curriculum, quem officinae pharmaceuticae non olim tantum seruant, sed nostris quoque adhucdum seruant temporibus, magno cum possessorum incommodo & aegrotantium saepe damno, quum summo utique dubitandum sit iure, vix vnquam tot occurrere morbos morborumque symptomata, quot ibi colliguntur, adseruantur, componuntur & porriguntur medicamina. Nomina horum, virtutes & elogia qui inquirat & apud Auctores inuestigat, nequaquam adeo pertinacem futurum morbum, adeoque rebelliam obuenturam facile credet symptomata, quin bisce simplicibus, compositis, Galenicis, chemicis, specificis, polycbrestis, aliisque summis laudibus decantatis remediis, cedant & in totum profligentur, sicque forte nullum plane insanabilem fore morbum, raramque admodum ex morbis futuram mortem, nimis praemature licet, iudicabit. In praxi enim tandem modice saltem versatus, dum ad lydiu illu lapidem, experientiam puta, comptura saltem illorum debita cum prudentia examinat, heu! quot non fabulas, ineptias, somnia & commenta deteget. Minime ergo mirandum est, ipsam  
non

non solum materiae medicae, seu simplicium medicamen-  
torum, cognitionem, ob immensam talem molem summe  
difficilem redditam, sed & innumeros, ab imprudentiori-  
bus maxime & rudioribus in arte nostra salutari, communi-  
sos fuisse errores; & quanquam intuitu virium vel genui-  
narum, vel falso praedicatarum, iam dudum a cordatiori-  
bus quibusdam Medicorum, haud infelici conatu, in certas  
redacta sint classes, cuilibet tamen prudenti adhaec in-  
cumbit Practico, ut, pro diuersa circumstantiarum ratio-  
ne, vtilia a noxiis, genuina a spuris & efficacia ab inertibus  
sedulo discernat, hancque ob rationem in diuersum  
agendi modum quorumlibet simplicium prius caute & ex-  
acte inquireat, quam usum & effectus eorum determinare  
suscipiat. Haec itaque procul dubio fuerunt, quae TE,  
**CANDIDATE NOBILISSIME**, impulerunt, ut,  
in hac TVA inaugurali Dissertatione, specialem usum EX-  
PRESSORVM OLEORVM ex eorum modo agendi de-  
clarare & demonstrare haud inuita aduisus fueris Mi-  
nerua. Comprobas sane hoc ipso specimine, proprio mar-  
te elaborato, TE oleum & operam non perdidisse, sed opti-  
me impendisse per omne illud tempus, quod in nostra Fri-  
dericiana cum laude & indefessa assiduitate transegisti.  
Gratulor idcirco hos, quos promereri & qui TE exspe-  
ctant, honores in arte medica summos, utque Deus T. O. M.  
corpori TVO par animo robur, pares studiis vires, pares-  
que virtutibus facultates addat, ac insimul pari medici-  
nam exerceas felicitate, qua eandem sedulitate addiscere  
aduisus es, toto pectore precor voueoque. Dab. Halae

Magdeburg. d. XII. Decembr. A. S. R.

MDCCLXVII.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

HENRICVS BASS,

MED. ET CHIRVRG. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL.

**A**B eo, quo TE, CANDIDATE DO-  
CTISSIME, cognoui, tempore, non sine  
singulari perspexi animi voluptate, quan-  
tum & quam indefessum in excolenda medicina adhi-  
bueris studium. Omnibus enim meis Collegiis, quae  
tum de praxi medica, tum de chirurgia, tam medica,  
quam operatrice, praelegebam, interfuisti auditor, se-  
dulitate nemini secundus & discendi ardore omnibus  
praeripiens palmam. Accidit deinde, ut nos eadem  
domus coniungeret, & fere quotidiana uteremur  
consuetudine, quae non effecit solum, ut melius mi-  
hi innotesceres, sed spem etiam, quam de TE & pro-  
spero studiorum TVORVM progressu conceperam,  
magis confirmavit, immo plane superavit. Coniun-  
xisti praeterea proficiendi in arte salutari studium cum  
studio virtutum, & morum probitate, modestia &  
temperantia semper mihi satisfacisti, atque ita TE  
gerendo cum laude absolvisi vitae academicae curri-  
culum. Gratulor ergo TIBI, NOBILISSIME  
DOMINE CANDIDATE, ex animo TVI  
studiosissimo, de insignibus TVIS in medicina profe-  
ctibus & de honoribus doctoralibus, quos iam capes-  
sis, tanquam iustis TVAE diligentiae praemiis. Va-  
le, meque eo amore, quo adhuc profecutus es, porro  
complectere; de me autem certo per suasum habeas, fo-  
re, ut nunquam a TE amando & colendo desistam. Ha-  
lue Magdeburgicae a d. XII. Decembr. MDCCXLVII.

E

NOBI.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

AMICO PERQVAM DILECTO

S. P. D.

D. ERN. ANT. NICOLAI.

**S**I medicus felici cum successu artem suam exercere cupit, non solida solum cognitione, morborum causas inuestigandi, instructus esse, sed remediorum etiam, quibus tanquam instrumentis omnia ipsi perficienda, vires probe cognitae & perspectas habere debet. At vero, quo magis in artis exercitio utile est & necessarium, veras & genuinas medicamentorum vires eorumque modum operandi intimius nosse, eo magis utique dolendum est, hanc, quae de medicamentorum viribus agit, doctrinam, crassis etiam nunc occultatam & circumfusam esse tenebris. Permultae ac diuersae, in quas medici hac in scientiae suae parte abeunt, opiniones, eorundemque controuersiae in hac doctrina saepius agitatae & reiteratae, mei asserti veritatem satis superque demonstrant. Si in causas huius tam perniciosae ignorantiae medicamentorum ratione virium inquiri, plures quidem inuenio, sed hoc inter alia mihi videtur impedire, quo minus ad distinctam medici peruenire possint medicamentorum eorumque virium notitiam, quod nimirum omnibus istis principiis, ad distinctas de medicamentorum modo agendi notiones acquirendas

rendas eumque rite explicandum necessariis, destituti sunt, & vix vel parum saltem de explicandis medicamentorum viribus & eorum in corpus humanum effectibus, sed potius de inutili medicamentorum farragine augenda, fuerunt solliciti. Quot in pharmacopoliis non prostant medicamenta composita? quantus eorum non est numerus, ut eorum formulae vix magno capi possint volumine? & quam raro medici utuntur medicamentis simplicibus, falso sibi persuasi, eo maxime se ostendere suam eruditionem, si formulas vltimam longas, immo ea longiores, praescribant. Verum enim vero quam maxime isti fallantur, ii optime habent perspectum & cognitum, qui norunt, naturam paucis esse contentam medicamentis, ipsique magis placere simplicia, nec vlla, vel saltem non longiori praeparatione parata composita, & medicamenta eo esse perfectiora, quo sunt simpliciora. TV igitur, AMICE AESTVMATISSIME, non inanem suscepisti operam, quod in oleorum expressorum, utpote medicamentorum simplicium, vires & modum operandi accuratius inquisueris, & asserta TVA non vanis hypotesibus, sed certis atque indubitatis principiis superstruxeris. Non vereri debeo, ne adulatoris prae me feram speciem, si TVAM in excolenda medicina diligentiam & felices in optimis litteris progressus publice praedico: nemo enim, quam ego, propius TE cognoscendi plures habuit occasiones, qui TE assiduum atque indefessum in omnibus meis collegiis habui auditorem & TVA perpetuo vsus sui consuetudine, ad quae accedit, quod ab aliis

aliis etiam viris excellentissimis testimonia TVORVM  
profectuum acceperis locupletissima. Neque illotis ma-  
nibus ad medicinam accessisti addiscendam, neque eius  
tantum particulam cursu aliquo es emensus, sed mul-  
tum temporis & operae philosophicis & mathematicis di-  
sciplinis excolendis consecrasti, quibus rite imbutus &  
bene praeparatus, medicinae studio demum TE applicuisti.  
Doctissima TVA, quam proprio Marte elaborasti, Disserta-  
tio, egregios TVOS in philosophicis & medicis demonstrat  
profectus, id quod cuilibet rerum gnaro facile est perspe-  
ctu. Gratulor ergo TIBI, AMICE AESTVMATISSI-  
ME, de singulari TVA rerum philosophicarum & medica-  
rum scientia, & de summis in medicina honoribus mox  
TIBI conferendis. Fruare iis diu saluus & incolumis, in  
familiae TVAE splendidissimae laetitiam, patriae TVAE de-  
cus & aegrorum emolumentum. Me vero TVO favori et  
habeas commendatissimum, meque amare pergas, ulti-  
mum est & praecipuum, quod a TE peto. Vale. Dabam  
Halae Magdeburgicae die XII. Decembr.

CIO DCC XLVII.



01. A 6529

ULB Halle  
002 928 701

3




*Rehov*









DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**OLEIS EXPRESSIS**  
EORVMQVE  
**MODO AGENDI ET VSV**

QVAM  
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

AD D. DECEMBR. A.S.R. MDCCXLVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**FRIDERICVS BENEDICTVS SCHROEDER,**  
IVLINO-POMERANVS.

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.